

immensa auri vi, ac sanguine comparatam, non minus suu,
quam christiane reipublicæ causa defenderent: inde ad Ita-
liam aditum esse; inde barbaros, inde heresum labe infectas
gentes sibi iter ad arma in istius provincie viscera inferenda
nonnunquam struxisse. Quem unquam Pontificum fuisse, qui
Venetæ Reipublicæ viribus & copiis non arceri hostes, iter-
que molientibus non intercludi posse sibi persuaserit? ac proin-
de ne quando religio nutaret, patriciæ nobilitatis viro Aqui-
lejensem Ecclesiam non crediderit, quam Patres sartam tectam
que & imperii jure, & pactionum legibus tuerentur? Nunc
vero cur post tot elapsos annos bello parta, pace firmata, usu
recepta immutari ac perverti? His certe vehementer Venetos
angi; sed alia ex parte magna spe duci, fore ut tandem de
veritate edocitus Gregorius acquiescat. Hac sane Superantii o-
ratione haud parum commoveri videbatur, ut non modo per-
motum, sed ratione ipsa, cuius ingens apud mortales vis est,
dejectum, ac prope victum dices; tametsi hæsitantis animi
sensa premere annixus, Reipublicæ jura sibi scripto exhiberi
peteret. Cui Superantius, quidquid, salvis Reipublicæ ratio-
nibus, facere potuerat, id ultro Senatum præstisset; quod
modo flagitet, nisi magna earum jactura permittere non pos-
se, quod in eum, uti judicem, consentire nequit.

Cum Gregorius nec rationibus nec precibus flecteretur,
in Purpuratorum collegio de Aquilejensi causa differit: Nihil
a Republica impetrasse; judicium Venetos abnuere; scripto ex-
hibere jura pernegasse; a Superantio legato nihil allatum:
quocirca Cardinales bortari, ut de Sedis Apostolicæ digni-
tate cogitarent. Cum legatis rursus agit, denuo scripta ea
conditione, ut extra judicium sibi permittantur, efflagitat. Id
cum pernegaretur, acrius in Patrum collegio contendit, mu-
neris sui, uti Catholicæ Ecclesiæ Principis, esse, cunctarum
ecclesiârum rationes integras servare, Aquilejensisque in pri-
mis Antistitis, qui impar certamini cum Republica sit: nihil
prætermissee, nihil obtinuisse; supremos Principes, ac Reges ad
Apostolicæ Sedis judicium confugisse: cur id Veneti abnuant?
Ex his in dies magis arduum negotium evadere, cuncta sigillatim
Purpuratorum Collegio exponi; in quo licet nonnulli asperrimam
cum Venetis agendi Gregorii rationem improbarent, plerique

Gregorii
Pontificis
dere Aqui-
lejensi in
Cardinaliæ
collatio ser-
mo.